

**ÉRTEKEZÉSEK  
A NYELV- ÉS SZÉPTUDOMÁNYOK KÖRÉBŐL.**

KIADJA A MAGYAR TUD. AKADÉMIA.

AZ I. OSZTÁLY RENDELETÉBŐL  
SZERKESZTI  
**SZINNYEI JÓZSEF**  
OSZTÁLYTITKÁR.

---

**XXIV. KÖTET 6. SZÁM.**

---

**SYMBOLAE EXEGETICAE  
AD PERSII SATIRAS**

SCRIPSIT

**GEYZA NÉMETHY**  
SODALIS ORDINARIUS

*Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung.  
die 7. Mai ann. 1923. recitata.*

Pretium 3000 cor.

BUDAPEST.  
1924.



# SYMBOLAE EXEGETICAE AD PERSII SATIRAS

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY  
SODALIS ORDINARIUS

*Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung.  
die 7. Mai ann. 1923. recitata.*

BUDAPESTINI

SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM HUNGARICAE  
MCMXXIV.

---

Magyar Tudományos Társulatok Sajtóvállalata Rt. Budapest. — Szabó T. István.

## **Symbolae exegeticae ad Persii Satiras.**

Anno 1903. edidi Satiras Persii adnotationibus exegeticis instructas.\* Nunc commentarium illum additamentis quibusdam ditare atque emendare velim.

### I.

Prolog. vss. 2—3:

Nec in bicipiti somniasse *Parnaso*  
Memini, ut repente sic poeta prodirem.

Scholiasta adnotat: »Tangit autem Ennium, qui dixit se vidiisse per somnum in *Parnaso* Homerum sibi dicentem, quod eius anima in suo esset corpore.« *Vahlen* in editione altera Ennii (p. CXLVIII.) docet Ennium non de *Parnaso*, sed de *Helicone* hoc narrasse; pro *Helicone* igitur Persius posuit *Parnasum*.

### II.

Sat. I. vs. 1:

O curas hominum, o quantum est in rebus *inanis*.

Locus parallelis Lucretianis in editione mea allatis adde Lucr. V. 1415—1416: »Ergo *hominum genus* in cassum frustraque laborat Semper et in *curis consumit inanibus aevom*.«

\* A. Persii *Flacci Satirae*. Edidit, adnotationibus exegeticis et criticis instruxit. Budapestini, sumptibus Academiae Litterarum Hungaricarum, MCMIII.

## III.

## I. 5–8:

Non, si quid turbida Roma  
 Elevet, accedas examenve improbum in illa  
 Castiges t. utina, nec te quaesiveris extra.  
 Nam Romae est quis non?

Ita locum exhibui in editione mea. Nunc pro *examenve*  
 scribendum censeo *examene que* cum codice Montepes-  
 sulano 212. et cum Vaticano locumque ita interpretor: »Si  
 quid turbida Roma elevet, tu non accedas, sed examen  
 falsum emedes in trutina illa.«

Vs. 8. cum codicibus deterioribus omittendum censeo  
*est* et interrogationem ita expleo ex vs. 7: »Nam Romae  
 quis non se quaerit *extra*, i. e. quis non captat plausum  
 vulgi?«

## IV.

## I. 83–84:

Nilne pudet *capiti* non posse pericula cano Pellere?

In editione mea adnotavi: »pellere, cum dativo«. Sed  
*capiti* fortasse ablativus est, ut Karsten (in ephemeride  
 critica Batavorum, *Museum*, ann. 1905. p. 291) monet,  
 qui affert Catull. 68, 124: »Suscitat a cano vulturium  
*capiti*.«

## V.

I. 92–95. fautor quidam poetarum Neronianae aetatis  
 affert nonnulla novae poeseos specimina, mollitia quadam  
 et curiosa versuum pangendorum arte insignia:

Sed numeris decor est et iunctura addita crudis.  
 Claudere sic versum didicit: *Berecyntius Attis*,  
 Et: *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin*,  
 Sic: *costam longo subduximus Apennino*.

Vs. 93. ad verbum *didicit supplendum* est subiectum:  
*poeta novus*. Eadem ellipsis supra vss. 63–66:

Quis populi sermo est? Quis enim, nisi carmina molli  
 Nunc demum numero fluere, ut per leve severos

Effundat iunctura unguis? Scit tendere versum  
Non secus, ac si oculo rubricam derigat uno.«

Ubi ad scit suplendum est subiectum: poeta nostrae aetatis.

Eodem versu (vs. 93.) *claudere versum* referendum est ad clausulas hexametrorum, i. e. vs. 93. ad *Bercyntius Attis* et vs. 94. ad *Nerea delphin*. Fautor scilicet poeseos novae a Persio ludibrii causa inductus laudat novos poetas Graecissantes, qui in clausulis hexametrorum libenter utebantur *Graecis nominibus euphoniae gratia*. Cf. scholia ad vss. 93. et 94: »Hi versus exempli causa ponuntur. Non sunt autem Persii, sed poetae nescio cuius *Graecissantis*, qui cum mare describeret, ita dixit: *delphin* in *extremitate* versuum . . . Sic robur Latinae eviravimus linguae intermiscendo *Graecas glossulas*.«

Vs. 95. est crux omnium interpretum. Nam quid significet *costam subducere Apennino*, nemo adhuc probabiliter explicare potuit. Sed rectam viam hic quoque monstrant nobis scholia ad vs. 95: »Omnia heroicorum carmina ita fere sunt composita, ut proximus pes ab ultimo dactylus sit, exceptis admodum paucis, quos spondiazontas appellant, ut apud Cornelium Severum: »Pinea frondosi coma murmurat *Apennini*.« *Longum Apenninum*, non quod a supero mari ad inferum extenditur, sed quod *duobus spondeis terminetur*. Ergo *longus Apenninus* hoc loco non geographicus, sed prosodico sensu ponitur: *Apennino vox longa est*, quia ex quattuor longis syllabis constat.

Agitur certe de hexametris spondiacis, quibus mollitiem quandam tribuebant antiqui, praesertim poetae neoterici Catullianaee aetatis, qui libentissime utebantur versibus spondiacis ita, ut in fine versus Graecum nomen euphoniae causa ponerent. Hunc morem irridet inimicus eorum, Cicero, cum Attico iocans; ipse enim facit mollem hexametrum spondiacum in nomen Graecum dispondiacum exeuntem eumque ironice commendat poetis neotericis; cf. Ep. ad.

Att. VII. 2, 1: »ita belle nobis

Flavit ab Epiro lenissimus *Onchesmites*.

Hunc σπονδειάζοντα si cui voles τῶν νεωτέρων pro tuo vendito.« De mollitie talis clausulae hexametri mentionem facit etiam Quintilianus Inst. Or. IX. 4, 65. hunc Persii locum respiciens: »Est in eo quoque nonnihil, quod hic singulis verbis bini pedes continentur, quod etiam *in carminibus est permolle*, nec solum, ubi quinae syllabae nectuntur, ut in his: *fortissima Tyndaridarum*, sed etiam ubi quaternae, cum versus *clauditur: Apennino et armamentis et Orione.*« Quare relinquamus vestigia editorum hoc usque omnium, qui versum 95. ita scripserunt:

Sic costam longo subduximus *Apennino*

praeter Sic omnia reliqua hexametri verba poetae cuidam Persio aequali tribuentes, et scribamus versum ita:

Sic costam longo subduximus *Apennino*

nil praeter clausulam: *Apennino* poetae illi irriso relinquentes. Ad *costam* deinde subintellegamus (ex. vs. 93.) dativum *versui* et *longo Apennino* sit nobis *ablativus instrumenti*, non dativus, ut interpretes huc usque omnes putaverunt. Ita sensus evadit aptissimus: »Sic costam versui hexametro subduximus (dempsimus) nos, poetae novi, ope *longi Apennini*« i. e. in fine versus hanc longam vocem ponendo: *Apennino*. Nam quid significat hoc loco *costam versui subducere?* Certe *ossa*, i. e. duritiem, subducere versui, quasi *exossare*, emollire hexametrum; est enim propria versui spondiaco, praesertim qui in vocem ex duobus spondeis constantem exit, quaedam *mollities*, ut supra vidimus. Conferri potest apud Persium ipsum Sat. VI. vs. 52., ubi *exossatus ager* significat agrum lapidibus (tamquam ossibus) purgatum et sic mollitum.

Totus igitur locus Persii (vss. 92—95.) agit de clausulis hexametrorum a poetis Neronianeae aetatis compositorum: sed vss. 93. et 94. reprehenduntur poetae Graecissantes, qui in fine hexametri Graeca ponebant nomina euphoniae causa, vs. autem 95. carpuntur ii, qui iusto saepius utebantur mollitiae gratia hexametris spondiacis.

## VI.

I. 121–123. :

Hoc ego opertum,  
 Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo  
 Iliade.

*Hosius* (*Berliner Philologische Wochenschrift*, ann. 1903. p. 1486.) confert Petron. 52.: »meum intellegere nulla tibi vendo pecunia«.

## VII.

II. 2. :

Qui tibi labentis apponit candidus annos.

In praefatione critica editionis meae erravi lectionem *apponit* codici Montepessulano 125. tribuens; haec est enim lectio codicis Montepessulani 212. et Vaticani.

## VIII.

II. 44–46. :

Rem struere exoptas caeso bove Mercuriumque  
 Accersis fibra: „Da *fortunare* Penatis,  
 Da pecus et gregibus fetum.“

*Wageningen* in editione sua (*Groningae*, 1911.) recte adnotat hoc loco *Penatis* subiectum esse verbi *fortunare* et supplendum obiectum: *me*. I. e. *da*, ut *Penates fortunent* (felicem reddent) *me* et *domum meam*.

## IX.

II. 55–58. (de stultitia eorum, qui diis aurum in sacrificio placere credunt):

Hinc illud subiit, *auro* sacras quod *ovato*  
 Perducis facies. „Nam *fratres* inter aenos,  
 Somnia pituita qui purgatissima mittunt,  
 Praecipui sunto sitque illis *aurea barba*.“

Poeta alludere videtur ad imperatorem quendam nobis ignotum, qui *auro ovato*, i. e. *victoriis parto* et in *ovationis*

pompa circumducto, statuas deorum quorundam perduci iussit.

V. 56. *Fratres inter aenos sic explicant scholia*: »Acron tradit, quod in porticu quondam Apollinis Palatini fuerint quinquaginta Danaidum effigies et contra eas sub divo totidem equestres filiorum Aegypti. Ex iis autem statuis quaedam dicebantur postulantibus per somnum dare oracula.« Sed testimonium scholiorum argumentis gravissimis infirmavit Jahn (p. 133. ed. mai.): »Danaidum statuae in illa porticu positae etiam ab aliis commemorantur (Propert. II. 23, 4; Ov. A. A. I. 73. sq. Am. II. 2, 4. Trist. III. 1, 60 sqq.), unde discimus fuisse eas inter columnas porticus collocatas unaque cum iis patrem Danaum stricto ense. Permiram vero accidit, quod nunquam Aegyptiadarum mentionem faciunt scriptores, qui Danaides admirantur, atqui quinquaginta statuae equestres etiam Romae res erat admiratione sane digna. Porro cur Aegypti filiis statuae equestres ponerentur, nulla quantum video causa inveniri potest. Quare vereor, ne in hac narratione error quidam insit et statuae Aegyptiadarum non nimis firmo talo consistant. Verum ut fuerint, hic eos in mente habere Persius non potuit. Primum enim non est credibile Aegypti filios somnia misisse et tamquam deos fatidicos venerationem accepisse, tum ex tali quinquaginta statuarum serie ad ordinandam porticum collocatarum, inter se igitur simillimaruin, unum alterumve eximie beneficum habitum fuisse et tali prae ceteris barbam pro lubitu deaurari licuisse vix mihi persuadeam.« Adde, quod filii Aegypti erant iuvenes, qui a sculptoribus non fingebantur *barbati*; non poterant igitur barbae earum (cf. vs. 58.) inaurari. Eadem de causa non est de Dioscuris cogitandum, qui semper *imberbes* fingebantur.

Mea sententia vs. 56. *fratres aeni* significant statuas aeneas quorumlibet deorum, quia dii omnes, a Saturno orti, arto cognationis vinculo erant inter se iuncti et Persius ante oculos habuisse videtur Verg. Catal. IV. 5., ubi *divi divumque sorores* significant *deos deasque*. Ergo, si deae sunt deorum sorores, possunt etiam dii omnes

*fratres* appellari. Intellege igitur: »Inter fratres suos aeneos sint praecipui illi, qui« etc.

## X.

## II. 64—65. (de luxuria).

Haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo  
Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.

Ut *Wageningen* in editione sua recte monet, non murex, sed vellus *vitiatur*, sicut vs. praced. non casia, sed olivum corrumpitur. Ipse Persius VI. 40. (de luxuria) recte dicit: »Faeniscae crasso *vitiarunt* unguine pultes«, i. e. non unguen *vitiatur*, sed puls *vitiatur* unguine. Scribendum igitur videtur cum *Wageningeno vitiatum*. Corruptela facile explicatur haplographia litterae *m*.

## XI.

## II. 66—67. (de avaritia):

Haec bacam conchae rassisce et *stringere venas*  
Ferventis massae crudo de pulvere iussit.

Persius ante oculos habuisse videtur Catull. 66, 49, 50: »Et qui principio sub terra quaerere *venas* Institit ac ferri *stringere* duritiem.»

## XII.

## II. 68—69:

Peccat et *haec*, peccat, vitio tamen utitur. At vos  
Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?

In editione mea ad *peccat et haec* adnotavi: »Hoc loco *pulpa* (supplenda ex vs. 63.) est subiectum, *haec* autem obiectum sententiae.« Rectius *Wageningen* in editione sua (Groningae, 1911. II. p. 39.) ad *et haec*: »*pulpa* quoque, h. e. corpus peccat luxuria se dedens, at magis peccat animus, qui mores suos diis attribuit.« *Haec* (= *pulpa*) est igitur subiectum sententiae.

## XIII.

III. 71—72. (de officiis hominum);

quem te deus esse  
Iussit et humana qua parte locatus es in re.

I. e. quo loco, tamquam miles in statione, positus es a deo in republica humana. Locis parallelis in editione mea allatis adde Demosth. Olynth. 3, 36: παραχωρεῖν . . . τῆς τάξεως τῆς ἀρετῆς et Hor. Epist. I. 16, 17: »locum virtutis deseruit«.

## XIV.

III. 83—84. (de absurdis philosophorum dogmatibus):

Aegroti veteris meditantes somnia: gigni  
De nihilo nihilum, ir. nihilum nil posse reverti.

Intellege: somnia veteris cuiusdam philosophi insipientis; nam dogmata philosophorum interdum absurdia sunt, sicut somnia aegrotorum delirantium. Cf. Varr. Sat. Menip. fr. 122. (ed. Buecheler): »Postremo nemo aegrotus quicquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus« et Lactant. Die ira dei 10, 3: »Qui (sc. Leucippus) ea loqueretur, quae nec aeger quisquam delitare nec dormiens posset somniare«.

## XV.

IV. 5:

. . . dicenda tacendave calles.

Locis parallelis in editione mea allatis Hosius (Berl. Phil. Wochenschrift ann. 1903. p. 1486.) addit Enn. fragm. 194, 10: »Prudenter qui dicta loquive tacereve possit.«

## XVI.

IV. 10—11 :

. . . rectum discernis, ubi inter  
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo.

Persius ante oculos habuisse videtur Lucret. IV. 496—497: »si prava est regula prima Normaque si fallax rectis regionibus exit.«

## XVII.

V. 1–7. agitur de poetis tragicis et epicis centum ora et centum linguas sibi poscentibus:

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,  
 Centum ora et linguas optare in carmina centum,  
 Fabula seu maesto ponatur hianda tragoedo,  
 Vulnera seu Parthi ducentis ab *inguine ferrum*.  
 »Quorsum haec? Aut quantas robusti carminis offas  
 Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?«

Vs. 3. *fabula ponatur* explicandum ex I. 70: *ponere lucum*; nam *ponere* proprie dicitur de artificibus statuas aut picturas facientibus (cf. Ov. Met. VIII. 159–160. de Daedalo: »fabrae celeberrimus artis Ponit opus«); sed transfertur etiam ad poetas carmina componentes. Ergo *fabulam ponere* hoc loco significat *tragoediam fingere*.

Ad vs. 4. locis parallelis in editione mea allatis adde Ov. Met. V. 132–133: »Huius in obliquo missum stetit *inguine ferrum*; Letifer ille locus.«

Vs. 7. *ingeris* explicari nequit. Scribendum videtur *egeris* (ab *egerendo*), i. e. evomis. Cf. Ov. Met. VI. 664. (de Tereo, qui filium suum inscius comedit, cibos nefandos evomere conante): »Egerere inde dapes immer- saque viscera gestit». Similiter dicit Martial. XI. 90, 6. de tragicis grandiloquis, fortasse hunc ipsum Persii locum respiciens: »Accius et quidquid Pacuviusque vomunt.« Cf. Hor. A P. 457: »dum sublimis versus ructatur«.

## XVIII.

V. 127–128:

... servitium acre  
 Te nihil impellit.

Locus parallelis in editione mea allatis adde Lucret. V. 87.: »Et dominos acris adsciscunt.«

## XIX.

V. 134–137. (de mercatore):

... En, saperdam advehe Ponto,  
 Castoreum, stupras, hebenum, tus, lubrica Coa;  
 Tolle recens primus piper ex sitiente camelo.  
 Verte aliquid: iura.

Ad verte adnotat scholiasta: »Negotiare et speciem pro specie commuta.« Cf. Porphyr. ad Hor. Epist. I. 20, 1: »Vertumnus deus est praeses vertendarum rerum, hoc est emendarum et vendendarum.«

## XX.

V. 147–148:

... Veientanumque rubellum  
Exhalet vapida laesum pice sessilis obba?

Loci parallelis in editione mea allatis adde Pseudo-  
verg. Cop. vs. 11: »vappa cado nuper defusa picato.«

## XXI.

V. 180:

*Herodis venere dies . . .*

Locum ita interpretatus sum in editione mea: »dies festi Iudeorum, i. e. sabbata. Herodes Magnus, Iudeae rex, Augusti amicitia honoratus, erat Romanis notissimus; hoc loco ponitur pro populo suo.« Cf. Juvenal. 6, 159. (de Iudea): »Observant ubi festa mero pede sabbata reges.«

## XXII.

V. 189–191. (de centurione ineruditio philosophos contemnente):

Dixeris haec inter varicosos centuriones,  
Continuo crassum ridet Pulfennius ingens  
Et centum Graecos curto centusse licetur.

Vs. 191. *curto centusse*, i. e. centum assibus non integris et probis, sed longo usu detritis. Contrarium est III. 69. *asper summus*, i. e. pecunia nova et proba, nondum trita, iustum pondus habens. Persius ante oculos habuisse videtur Varr. Sat. Menip. fr. 404 (ed. Buecheler): »Si quantum operae sumpsisti, ut tuus pistor bonum faceret panem, eius duodecimam philosophiae dedisses, ipse bonus iam pridem esses factus. Nunc illum qui norunt, volunt emere milibus centum, te qui novit, nemo centussis.«

## XXIII.

VI. 3–4. ita alloquitur Caesium Bassum, lyricum poetam:

Mire opifex numeris veterum *primordia vocum*  
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinae.

I. e. qui *numeris* (i. e. ad numeros, secundum numeros) *veterum lyricorum Graecorum* artificiose scis intendere *chordas* et marem strepitum lyrae Latinae. *Primordia vocum*, i. e. origines vocum (unde voces oriuntur), sunt *chordae*; abstracte dictum ad exemplum Vergilii, qui Aen. VI. 646. septem chordas lyrae appellat *septem discrimina vocum*.

*Veteres* appellabantur a Graecis recentioris aetatis et a Romanis scriptores Graeci classici inde ab Homeri temporibus usque ad Alexandrum Magnum. His adnumerandi sunt lyrici antiqui septimo et sexto a. Chr. n. saeculo florentes, quos Horatius et Caesius Bassus imitabantur. Cf. Hor. Sat. II. 6, 61: »veterum libris.« *Numeris veterum . . . fidis Latinae*, eadem antithesis, quae apud Hor. III. 30, 13–14: »Aeolium caram ad Italos deduxisse modos.«

*Numeris . . . primordia vocum . . . intendisse*, ex Verg. Aen. VI. 646: »Obloquitur numeris septem discrimina vocum« et Aen. VII. 776: »numeros intendere nerviss.«

*Strepitum . . . fidis*, ex Hor. Carm. IV. 3, 17–18: »O testudinis aureae Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas.«

## XXIV.

VI. 24:

Nec tenuis sollers *turdarum nosse salivas*.

*Turda* pro: *turdus femina*, insolenter. Hanc vocem Persius a Varrone mutuasse videtur; cf. Varr. Sat. Menip. fragm. 446. (ed. Buecheler) apud Non. Comp. doctr. p. 229: »turdi generis feminini. Varro *Quinquatribus: turdae*.«

## XXV.

VI. 69–70:

... mihi festa luce coquatur  
Urtica et fissa fumosum sinciput aure.

Intellege sinciput porci fumo siccatum. In editione mea adnotavi: »Solent in Hungaria subulci aures suum fissuris sibi propriis notare, ut suam quisque suem etiam in alieno grege agnoscat. Idem fecisse videntur antiqui.« *Hosius* (Berl. Phil. Wochenschrift, ann. 1903. p. 1486.) contra: »*fissa aure* ist, trotz heutiger ungarischer Sitte schwerlich das zum Kennzeichnen des Eigentums *geschlitzte Ohr*, sondern *das Loch im Ohr, an dem der Schweinskopf im Rauch hing*. Conferri potest Pseudoverg. Moret. 58–59: »*Traiectus medium sparto sed caseus orbem . . . pendebat.*«

## XXVI.

VI. 71–73:

Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,  
Cum morosa vago singultet inguine vena,  
Patriciae *immeiat vulvae*?

*Immeiat de coitu. Locis parallelis in editione mea allatis adde Catull. 67, 29–30. (de patre uxorem filii construprante): »Egregium narras mira pietate parentem, Qui ipse sui gnati minxerit in gremium.«*

---







130/924. — M. Tud. Társ. Sajtóvállalata Rt. Budapest.